

8.10.9

*Imppp. Arcadius Honorius et Theodosius AAA. Aemiliano pu.*

Si cui loci proprietas aedificandi iuxta publicas aedes animum dederit, quindecim pedum spatium interfecto inter publica ac privata aedificia ita sibi noverit fabricandum, ut tali intervallo et publicae aedes a periculo vindicentur et privatus aedificator velut perperam fabricato loco destructionis quandoque futurae non timeat detrimentum.

*D. XI k. Nov. Constantinopoli Arcadio A. VI et Probo cons.*

[a. 406]

8.10.10

*Impp. Honorius et Theodosius AA. Monaxio pp.*

Per provincias Mesopotamiam Osdroenam Euphratensem Syriam secundam Phoenicem Libanensem Ciliciam secundam utramque Armeniam utramque Cappadociam Pontum Polemoniacum atque Hellespontum, ubi magis hoc desideratur, ceterasque provincias cunctis volentibus permittatur murali ambitu fundos proprios seu loca sui domini constituta vallare.

*D. III non. Mai. Constantinopoli Theodosio A. VIII et Constantio III cons.* [a. 420]

8.10.11

*Idem AA. Severino pp.*

Maeniana, quae Graece ἐξώστας appellant, sive olim constructa sive in posterum in provinciis construenda, nisi spatium inter se per decem pedes liberi aeris habuerint, modis omnibus detruncantur.

1 ¶ In his vero locis, in quibus aedificia privatorum horreis publicis videntur obiecta, obstructione moenianorum quindecim pedum intervalla servantur.

2 ¶ Quem intercapedinis modum aedificaturis quoque proponimus, ita ut, si quis intra definitum spatium, id est decem pedum mensuram, aedificare vel intra quindecim pedum moenianum possidere temptaverit, sciat non solum fabricam demoliendam, sed etiam ipsam domum fisco nostro adscribendam.

*D. III k. Oct. Asclepiodoto et Mariniano cons.*

[a. 423]